

IMAGE EVALUATION TEST TARGET (MT-3)







Photographic Sciences Corporation

23 WEST MAIN STREET
WEBSTER, N.Y. 14580
(716) 872-4503

CIHM/ICMH
Microfiche
Series.

CIHM/ICMH
Collection de
microfiches.

Canadian Institute for Historical Microreproductions / Institut canadien de microreproductions historiques

© 1986

Technical and Bibliographic Notes/Notes techniques et bibliographiques

The Institute has attempted to obtain the best original copy available for filming. Features of this copy which may be bibliographically unique, which may alter any of the images in the reproduction, or which may significantly change the usual method of filming, are checked below.

L'Institut a microfilmé le meilleur exemplaire qu'il lui a été possible de se procurer. Les détails de cet exemplaire qui sont peut-être uniques du point de vue bibliographique, qui peuvent modifier une image reproduite ou qui peuvent exiger une modification dans le méthode normale de filmage sont indiqués ci-dessous.

- [ ] Coloured covers/ Couverture de couleur
- [ ] Covers damaged/ Couverture endommagée
- [ ] Covers restored and/or laminated/ Couverture restaurée et/ou pelliculée
- [ ] Cover title missing/ Le titre de couverture manque
- [ ] Coloured maps/ Cartes géographiques en couleur
- [ ] Coloured ink (i.e. other than blue or black)/ Encre de couleur (i.e. autre que bleue ou noire)
- [ ] Coloured plates and/or illustrations/ Planches et/ou illustrations en couleur
- [x] Bound with other material/ Relié avec d'autres documents
- [ ] Tight binding may cause shadows or distortion along interior margin/ La reliure serrée peut causer de l'ombre ou de la distorsion le long de la marge intérieure
- [ ] Blank leaves added during restoration may appear within the text. Whenever possible, these have been omitted from filming/ Il se peut que certaines pages blanches ajoutées lors d'une restauration apparaissent dans le texte, mais, lorsque cela était possible, ces pages n'ont pas été filmées.
- [x] Additional comments:/ Commentaires supplémentaires:

- [ ] Coloured pages/ Pages de couleur
- [ ] Pages damaged/ Pages endommagées
- [ ] Pages restored and/or laminated/ Pages restaurées et/ou pelliculées
- [x] Pages discoloured, stained or foxed/ Pages décolorées, tachetées ou piquées
- [ ] Pages detached/ Pages détachées
- [x] Showthrough/ Transparence
- [ ] Quality of print varies/ Qualité inégale de l'impression
- [ ] Includes supplementary material/ Comprend du matériel supplémentaire
- [ ] Only edition available/ Seule édition disponible
- [ ] Pages wholly or partially obscured by errata slips, tissues, etc., have been refilmed to ensure the best possible image/ Les pages totalement ou partiellement obscurcies par un feuillet d'errata, une pelure, etc., ont été filmées à nouveau de façon à obtenir la meilleure image possible.

This item is filmed at the reduction ratio checked below/
Ce document est filmé au taux de réduction indiqué ci-dessous.

10X	12X	14X	16X	18X	20X	22X	24X	26X	28X	30X	32X
										✓	

ire
détails
es du
modifier
er une
filmage

es

errata
to

pelure,
on à

32X

The copy filmed here has been reproduced thanks to the generosity of:

Seminary of Quebec
Library

The images appearing here are the best quality possible considering the condition and legibility of the original copy and in keeping with the filming contract specifications.

Original copies in printed paper covers are filmed beginning with the front cover and ending on the last page with a printed or illustrated impression, or the back cover when appropriate. All other original copies are filmed beginning on the first page with a printed or illustrated impression, and ending on the last page with a printed or illustrated impression.

The last recorded frame on each microfiche shall contain the symbol —► (meaning "CONTINUED"), or the symbol ▼ (meaning "END"), whichever applies.

Maps, plates, charts, etc., may be filmed at different reduction ratios. Those too large to be entirely included in one exposure are filmed beginning in the upper left hand corner, left to right and top to bottom, as many frames as required. The following diagrams illustrate the method:

L'exemplaire filmé fut reproduit grâce à la générosité de:

Séminaire de Québec
Bibliothèque

Les images suivantes ont été reproduites avec le plus grand soin, compte tenu de la condition et de la netteté de l'exemplaire filmé, et en conformité avec les conditions du contrat de filmage.

Les exemplaires originaux dont la couverture en papier est imprimée sont filmés en commençant par le premier plat et en terminant soit par la dernière page qui comporte une empreinte d'impression ou d'illustration, soit par le second plat, selon le cas. Tous les autres exemplaires originaux sont filmés en commençant par la première page qui comporte une empreinte d'impression ou d'illustration et en terminant par la dernière page qui comporte une telle empreinte.

Un des symboles suivants apparaîtra sur la dernière image de chaque microfiche, selon le cas: le symbole —► signifie "A SUIVRE", le symbole ▼ signifie "FIN".

Les cartes, planches, tableaux, etc., peuvent être filmés à des taux de réduction différents. Lorsque le document est trop grand pour être reproduit en un seul cliché, il est filmé à partir de l'angle supérieur gauche, de gauche à droite, et de haut en bas, en prenant le nombre d'images nécessaire. Les diagrammes suivants illustrent la méthode.





C

C
vel ali
ad sup
tem C
C
forma
I
matri
Princ
sunt i
confi
Vabr
prœte
clesia
Licet
denti
à filii
super

mino
et du

clara
matr
cùm
sacra
dem
habe
Ben
nis à
dest

trac

quæ

part

tion
pro
"Cù
Tri
vid
civi
ape

vel
app

Mi
"P
cili
ref
pat
utr
lau
cor
run

eni
ali
nul
tur
tio

tra
tra

tin
m
pe
tar
ad
m

QUÆSTIONES

CIRCA MATRIMONIA MIXTA A SACRA CONGREGATIONE DE PROPAGANDA FIDE DECIMA SEPTIMA DIE NOVEMBRIS ANNI MILLESIMI OCTINGENTESIMI TRIGESIMI QUINTI SOLUTÆ.

Cùm à R. P. D. Episcopo Quebecensi pleraque dubia circa matrimonia mixta et clandestinè vel aliter inordinaté contracta Sacræ Congregationi de Propagandâ Fide proposita fuissent; re ad supremam S. O. Congregationem delatâ, Eminentissimi Cardinales contrà hæreticam pravitatem Generales Inquisitores dubia isthæc, ut sequitur, soluta voluerunt:

Quæritur 1°. Sit ne validum matrimonium à duobus Catholicis natu minoribus secundùm formas ab Ecclesiâ præscriptas contractum, sed tamen invitis parentibus?

Respondetur: Affirmative; Nec enim dissensus parentum aut œtas minor inter impedimenta matrimonium dirimentia ullo possunt modo hisce temporibus recenseri. Leges Cœsareas et Jussa Principum huic adversa sententiæ non moramur. Illa namque aut de civilibus tantum effectibus sunt intelligenda, sicuti de Edicto Henrici Tertii Regis Christianissimi à Ludovico decimo tertio confirmato sentiunt prœstantes viri Lovetus in Parisiensi senatu Consiliarius, Hubertus Episcopus Vabriensis, Cabassutius, Gerbasius, Natalis Alexander, Aliique; aut quùm id statuant quod limites prœtergreditur sœcularis potestatis, sunt omninò rejicienda.

Circà ea, quœ ad rationem pertinent Sacramentorum, non Principibus sœcularibus sed soli Ecclesiæ plena est definiendi potestas. Ea vero non solùm in cap. *Cùm locum*, de Spons. et Mat. in cap. *Licet* et in Cap. *Tuâ* de sponsâ duorum, ejusmodi matrimonia rata habuit et declaravit, verùm et Tridenti in Spiritu Sancto legitimè congregata eos anathemate percussit, qui falso affirmant matrimonia à filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse. Nullus igitur dubio reliquus locus est super validitate prœdicti matrimonii.

Quæritur. 2°. Utrùm Matrimonium partis catholicæ et partis protestantis, utriusque natu minoris, invitis parentibus unius ex partibus contractum coràm Magistratu vel Ministro protestante et duobus testibus, validum censeri debeat nec ne?

Respondetur: Affirmative, pro Canadæ Regionibus ad quas extensa est Benedictina declaratio. Jàm enim suprà monuimus neque ætatem minorem neque Parentum dissensum dirimere matrimonia; quod non de Catholicis solùm, sed de ipsis etiam Protestantibus volumus intellectum, cùm hœreteci quoque sacris Ecclesiæ legibus teneantur; nec in iis prœsertim, quæ attinent ad sacramenta, sœculares leges Ecclesiæ sanctionibus ullo possint esse detrimento. Deficientia tandem Parochi, in casu expresso, non nisi clandestinitatem parit, quæ in illis locis, in quibus vim habet Benedictina declaratio, haud irritat matrimonia hœreticorum. Cum verò, ut idem fert Benedictus decimus quartus in opere de Synod. Diœc. in matrimoniis mixtis pars libera et immunis à lege eamdem immunitatem cum alterâ parte communicare censetur; sequitur profectò clandestinitatem non obstare mixtis matrimoniis in Canadæ regionibus contractis.

Quæritur 3° Est-ne validum matrimonium à duobus Protestantibus absque ullo teste contractum?

Respondetur: Est validum pro Canadæ Regionibus; inibi enim viget Benedictina declaratio quæ valida declarat ea matrimonia quæ clandestinè ab hæreticis contrahuntur.

Quæritur 4° Matrimonium partis catholicæ et partis hœreticæ contractum inter utramque partem nullo adstante teste validum ne censeri debet?

Respondetur: Validum pro Canadæ Regionibus ob sæpius laudatam Benedictinam Declarationem ad ea loca extensam. Hoc patet ex dictis in solutione ad dubium 2°. Prœstat verò hic pro majori claritate verba referro ejusdem Benedicti XIV. lib. 6. cap 6. de Syn. Diæc. sic exarata: "Cùm conjux tùm rationo loci in quo habitat, tùm ratione societatis in quâ vivit, exemptus sit à Tridentinæ Sinodi lege, exemptio quâ ipse fruitur alteri parti communicata remanet propter individuitatem contractûs vi cujus exemptio quœ uni ex partibus competit ad alteram secundùm etiam civiles leges extenditur eidemque communicatur." Quœ verba, ut videre est, tàm sunt clara et aperta, ut nullum relinquant dubitationi locum super validitate istiusmodi matrimonii.

Quæritur. 5°. Matrimonium duorum Catholicorum inter se solos contractum absque ullo teste, vel coram duobus testibus in loco ubi non possunt recurrere ad ministerium alicujus sacerdotis approbati, validum ne est?

Respondetur: Primum Matrimonium est validum pro iis Diœcesis Quebecensis Incolis, qui Missionariis tantùm utuntur, Sacra enim Congregatio de Propaganda Fide, anno 1820 decrevit: "Pro incolis diœcesis Quebecensis, qui missionariis, et donec utuntur, non esse locum decreto Concilii Tridentini *Tametsi* nullo habito respectu majoris vel minoris distantiæ; et missionarii curent referre matrimonia celebrata in eorum regestu Ordinario respectivo tradendo." Quibus ex verbis patet Incolas prœdictos matrimonia inire posse, nec parocho distante, nec testibus ullis; quùm utraque obligatio ex eodem proveniat Tridentino decreto *Tametsi* cui locum non esse declaravit prolaudata Congregatio. Secùs vero de iis Incolis affirmandum est, qui in locis habitant, ubi sunt parœciæ constitutæ; illi enim nullo modo à lege Tridentini decreti immunes haberi possunt ut proindè ipsorum matrimonia irrita fiant si nullo teste prœsente contrahantur.

Secundum matrimonium, de quo in dubio fit mentio, validum quoque habendum est. Sacra enim Congregatio Concilii die 30 martii, anno 1669 declaravit quod sicubi catholicus parochus aliusve sacerdos, vel omnino non adsit vel illius adeundi libera potestas non sit, matrimonia etiam nullo adstante sacerdote contracta valida censeantur, dummodo coram duobus testibus contrahantur: Pius etiam VI, huic inhœrens declarationi rata habuit matrimonia in Galliis tempore revolutionis contracta cum Ecclesiœ legitimis pastoribus destituebantur.

Quæritur 6°. Cum pars una catholica et pars altera hœretica desponsantur coram Magistratu et uno tantùm teste; vel coram Ministro Protestante et uno itidem teste, potest ne Magistratus vel Minister, ut alter testis censeri? Matrimonium vero ejusmodi validum ne est?

Respondetur: Matrimonium est validum pro partibus Canadœ ob declarationem Benedictinam inibi extensam. Repetendum hic est quod jàm satis superque monuimus matrimonia hujusmodi valida semper esse etiamsi nullo adstante teste contrahantur. Superfluum itaque videtur percunctari utrùm Magistratus aut Minister hœreticus velut alter testis possit existimari. Cur tanta de altero teste sollicitudo, cùm in casu de quo agitur ex collato Indulto nullius testis prœsentia ad matrimonii validitatem exigatur? Leges autem sœculares, si quæ in Canadœ Regione vigent, matrimonia clandestina rescindentes coràm Ecclesiâ vi nullâ pollere meritoque explendendas esse

jàm suprà monuimus in responsione ad dubium primum. Diligenter itaque commonendi sunt qui in Canadæ Regionibus matrimonia prædicta sic contrahunt se in foro conscientiæ sæcularibus illis legibus non teneri, sicque coram Deo conjunctos esse ut nulla possint hominum potestate divelli.

Quæritur. 7°. Matrimonium duorum Catholicorum inter se adstantibus duobus testibus contractum coràm Parocho invito et reluctante estne validum?

Respondetur: Validum sic declaravit sacra congregatio Concilii anno 1581, respondens tertio Quæsito Episcopi Giennens. sic expresso: Si invitus et compulsus per vim adsit sacerdos, cum contrahitur matrimonium, utrum tale matrimonium subsistat? Responsum fuit subsistere.

Quæritur. 8°. Cùm Catholicus se simulat Protestantem aut Apostatam, eo consilio ut matrimonium ineat cum muliere catholicâ coràm Ministro Protestante et duobus testibus: ejusmodi matrimonium estne validum?

Respondetur: Negativè: Cum enim alter conjugum hæresim simulat aut apostasiam non ideo catholicam fidem ex animo deserit. Quocircà cùm ambo conjuges sint reipsâ catholici clandestinitatis impedimento tenentur. Quod si conjugum alter non hœc simularet solùm sed vero animo à catholicâ fide deficeret ad hæreticam transiens pravitatem, tum profecto mixtum exurgeret matrimonium quod ratum habendum esse ex superiùs dictis manifestè apparet.

Quæritur 9°. Duo Catholici Diœcesis Quebecensis non nihil impedimenti obesse animadvertentes ne matrimonium contrahant in fraudem legis ad illud ineundum coram magistratu pergunt ad Fæderatas Americæ Septentrionalis Ditiones, quibus in Regionibus facta nunquam est Tridentini decreti *Tametsi* promulgatio. Ratum ne habendum est matrimonium ejusmodi?

Respondetur: Ratum, si conjuges transferant etiam Domicilium; irritum, si primum Domicilium retineant. Lubet hic resolutiones à sacrâ Concilii Congregatione tribus dubiis datas afferre, ex quibus patet apertissimè quœnam sit Ecclesiæ mens circà hos similesve casus. Quœsitum itaque fuit

1°. "An Incolæ tàm masculi quàm fœminæ loci, in quo Concilium Trid. in puncto matri-
" monii est promulgatum, transeuntes per locum, in quo dictum Concilium non est promulgatum,
" retinentes idem Domicilium validè possent in isto loco matrimonium sine Parocho et testibus
" contrahere?

2°. "Quid si eo prædicti Incolæ tàm masculi quàm fœminæ solo animo sine Parocho et testibus contrahendi se transferant, habitationem non mutantes?

3°. "Quid si transferunt habitationem in illo solo animo ut absque Parocho et testibus contrahant?" Sacra Congregatio ad primum et secundum non esse legitimum matrimonium inter se sic tranferentes ac transeuntes cum fraude. Ad tertium si domicilium verè transferatur, matrimonium esse validum.

Quæritur 10°. Pars catholica Diœcesis Quebecensis et pars hæretica Ditionum Fœderatarum utraque natu minor contrahunt inter se solas matrimonium absque testibus in Fœderatarum Ditionum terris. Est ne validum hoc matrimonium?

Respondetur: Est validum: Pars enim hœretica Ditionum Fœderatarum suam communicat immunitatem parti Catholicæ Diœcesis Quebecensis. Œtas vero minor nullum facessit hîc negotium. Hæc tàm sœpe repetita sunt, ut inutile prorsus sit vel minimum nunc addere verbum.

Quæritur 11°. Pars hœretica earumdem Fæderatarum Ditionum et pars catholica Diœcesis Quebecensis matrimonium ineunt in prætatâ Diœcesi magistratu coram et duobus testibus; validè ne contrahunt?

Respondetur: validè etiamsi nullus adsit testis ob rationem in superioribus solutionibus allatam.

Quæritur 12°. Catholica pars Ditionum Fœderatarum et pars hæretica Quebecensis Diœcesis matrimonium inter se solas celebrant absque testibus in prœfata Diœcesi; Estne validum?

Respondetur: Validum; Pars enim hœretica gaudet Benedictinâ Declaratione et immunitatem ex illâ provenientem communicat cum parte catholicâ Ditionum Fœderatarum.

Quæritur 13°. In Ditionibus Fœderatis Americæ Septentrionalis, Sacerdotes catholici à tempore immemorabili celebrare consueverunt matrimonia catholicorum cum hœreticis. Suntne inibi licita mixta hœc matrimonia?

Respondetur: Negativè; Duplici enim in sensu sumi potest verbum illud *celebrare*, ut vel significat nuptialem impertiri benedictionem, vel nuptiis duntaxat adesse. Ab utroque officio arcentur Sacerdotes, cùm illicita semper ab Ecclesiâ habita sint istiusmodi matrimonia, nec licita fiant nisi specialis prœcesserit apostolica dispensatio, quæ gravissimis tantùm de causis et post maturum examen solet concedi. Causæ vero gravissimæ censen[illegible], si in publicum bonum vergant, et si eas comitentur expressæ et perquàm necessariæ conditi[illegible] quæ sequuntur: 1°. ut nullum adsit periculum quod pars catholicâ ab hæreticâ perverti possit imo è contrario spes affulgeat probabilius futurum ut pars hœretica ad saniorem frugem à parte catholicâ revocetur. 2°. Ut proles utriusque sexûs ex eo procreanda conjugio in Catholicæ Religionis sanctitate omnino educetur. Quæ si causæ conditionesque concurrant solet quidem Apostolica Sedes concedere ut Presbyter approbatus nuptiis intersit; at nullo modo nuptialem impertiatur benedictionem. Dispensatio isthœc pro prœfatis matrimoniis non prœsumitur, quæ idcirco illicita œstimanda sunt. Consuetudinem vero contrariam à tempore immemorabili vigentem sacra Congregatio non probat, nec tamen apertè nunc interdicit, ni verè graviora indè mala proveniant. In id autem omnes vires suas omnemque pastoralem sollicitudinem impendere deberent prœsules ordinarii, ut eam consuetudinem abusum imo reprobandum leniter et paulatim à suis usque radicibus evellant.

Hâctenùs de dubiis ab Episcopo Quebecensi propositis quibus ideo uberiores subjecimus resolutiones ut apertiùs pateret quid in similibus casibus consilii capiendum esset. Quæ vero de mixtis retulit matrimoniis Episcopus prœlaudatus, S. C. implexa satis nimisque generica visa sunt. Accuratiorem itaque ac uberiorem de illis relationem expostulat eadem S. C. ut perspectis omnibus rerum locorum personarumque circumstantiis cùm cœtera dignoscere queat tùm prœsertim si paulo superiùs dictæ causæ conditionesque concurrant.

Feria tertiâ loco quartæ die 17 Novembris 1835 In Congregatione Generali Sanctæ Romæ et Universalis Inquisitionis habitâ in Conventu Sanctæ Mariæ supra Minervam coràm E. et R. Dnis Cardinalibus contrà hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, supradictam Instructionem circa dubia proposita ab R. P. D. Archiepiscopo Quebecensi, iidem Emi et Rmi, D. D. approbarunt.

(*Signatus*) Angelus Argenti Sanctæ Romanæ et universalis Inquisitionis Notarius.

Loco † Sigilli

(*Pro Apographo.*)

Lud. L. Pominville, *Acol. S. Sec.*

DIVERSORUM CASUUM SOLUTIONES.

TEXTUS DIVERSARUM DECISIONUM SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS CIRCA VARIOS INDULGENTIARUM CASUS, QUIQUE RECENTIUS CLERO HUJUS DIŒCESIS TRADITUS EST, SIC SE HABENDUS ET REFORMANDUS EST :

" Quæritur 1°. Utrum sacerdos satisfaciat obligationi celebrandi Missam pro defuncto, servando ritum feriæ vel cujuscumque sancti etiamsi non sit semiduplex vel duplex ?

" Quæritur 2°. Utrùm qui privilegium habet personale pro quatuor Missis in hebomadis singulis, debeat cum paramentis nigro colore celebrare, diebus non impeditis, ut possit indulgentiam plenariam pro animabus defunctorum lucrari ?

" Quæritur 3°. Utrùm qui celebrat in Altari privilegiato pro singulis diebus, debeat semper uti paramentis nigris, diebus non impeditis, ut indulgentiam privilegii consequatur ?

" Quæritur 4°. Utrùm ad lucrandam indulgentiam plenariam Orationi—*O bone et dulcissime Jesu....* concessam, necesse sit aliam orationem addere pro intentione summi Pontificis ?

" Quæritur 5°. Utrùm ad indulgentias applicabiles crucibus, rosariis, etc., alius ritus sit nessessarius præterquam signum crucis à sacerdote qui hanc facultatem accepit, factum ?

" Quæritur 6°. Utrùm indulgentia concessa cadat solum in Christo ex ære, ligno vel aliaquâque materiâ facto, ità ut possit ex unâ cruce in aliam transferri absque periculo amittendi indulgentiam ipsi collatam ?

" Sacra congregatio indulgentiis sacrisque reliquiis præposita ad superiora dubia sic respondendum esse censuit.

" Ad primum.—Affirmativè.	" Ad quartum.—Negativè.
" Ad secundum.—Negativè.	" Ad quintum.—Negativè.
" Ad tertium.—Ut in secundo.	" Ad sextum.—Affirmativè.

" In quorum fidem, etc. Datum Romæ ex secretariâ ejusdem sacræ congregationis indulgentiarum die 11 aprilis 1840.

" C. CARD. CASTRACANE, præfectus.

" Loco † sigilli."

" HANNIBAL GINNASI, secret.

ALIÆ CIRCA VARIA DUBIA SOLUTIONES.

" Dubium I. Per Decretum S. Congregationis Indulgentiarum datum die 12 juin 1822 conceditur, confessionem sacramentalem peractam *infra hebdomadam ante festivitatem* suffragari posse ad Indulgentiam lucrandam.

" Quæritur 1°. An verba *infra hebdomadam*—significent octo dies tantum, quæ festivitatem immediate præcedunt ; an vero hebomadam illam totam et integram, quæ ante Festum decurrit, ita ut ex. gr. confessio facta die Dominica suffragetur ad lucrandam Indulgentiam die sabbati hebdomadæ sequentis, in quam diem Festum incideret, tametsi tunc 13 dies inter confessionem et Festivitatem intercessisent.

" Quæritur 2°. An confessio octavo die ante Festivitatem peracta vi hujus indulti suffragetur tantum ad unam Indulgentiam lucrandam, an vero per hanc confessionem aliæ etiam lucrifieri possint Indulgentiæ, quæ infra prædictum tempus occurrent, et ad quas lucrandas sacramentalis confessio cæteroquin requireretur.

" Dubium II. Quæritur an, cum in Bulla vel Brevi quo conceditur Indulgentia, confessio tanquam conditio *sine qua non* præscribitur, necesse sit ut sacramentalis absolutio pœnitentibus detur ad Indulgentiam lucrandam.

Sacra Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis præposita respondendum esse censuit :

" Ad dubium primum :

" Ad primum.—Affirmativè quoad primam partem ; negativè quoad secundam ;

" Ad secundum.—Negativè quoad primam ; affirmativè quoad secundam ;

" Ad dubium secundum :

" Respondetur : Negativè.

" In quorum fidem, etc. Datum Romæ ex Secret. ejusdem sacræ Congregationis Indulgentiarum die 15 decembris 1841.

" C. CARD. CASTRACAGE, Præf.

RESPONSA S. RIT. CONGR. AD DUBIA A RR. DD. EPISCOPO CÆNOMANENSI INFERIUS PRŒFATA, QUÆ ULTIMA EDITIO INDULG. TRACTATUS NON CONTINET.

" Beatissime Pater.—In variis Galliarum diœcesibus et specialiter in diœcesi Cenomanensi, permultæ extant confraternitates SS. Rosarii, B. M. de Monte Carmelo, SS. Cordis Jesu, etc.

" Diversæ illæ confraternitates ex speciali S. sedis facultate ab episcopis cum brevi formulâ fuerunt erectæ : nomina confratrum et consororum in particularibus registris inscribuntur, sed ad directorem archiconfraternitatis non mittuntur, nec administratores pro unaquâque fraternitate eliguntur.

" Cenomanensis episcopus, omnes fidelium anxietates præcavere aut sedare volens, à Beatitudine Vestrâ humiliter expostulat :

" 1°. An aliqua determinata formula necessaria fuerit sub pœnâ nullitatis.

2°. An necesse sit sub eâdem pœnâ ut administratores eligantur.

" In utrâque hypothesi, omnes fraternitates nunc erectæ essent nullæ.

3°. An episcopus designare possit directorem uniuscujusque confraternitatis suæ diœcesis sive jam existentis, sive ab ipso ex speciali apostolicâ facultate erectæ.

3°. An director ab episcopo sic designatus eo ipso rosaria cum applicatione indulgentiarum et scapularia benedicere ac imponere possit.

" Valdè optandum est ut claræ et faciles tradantur regulæ circa hoc punctum quotidianæ praxis."

"—Sacra Congregatio Rituum sacrisque Reliquiis præposita ad præfata dubia respondendum esse duxit ut infrà.

"Ad primum : Negativè quià formula præscribitur tantùm pro erectione sodalitatum à regularibus peragendâ.

" Ad secundum : Negativè, quià administratorum electio erit tantùm ad bonum sodalitatum regimen, minimè vero ad validitatem erectionis necessaria.

" Ad tertium : Affimativè.

" Ad quartum : Negativè, nisi in hujusmodi concessionibus facta sit mentio de facultate rectoribus pro tempore tradendâ pro rosariorum, coronarum seu scapularium benedictione. In quorum fidem.. Datum Romæ ex secretariâ S. Congregationis Indulgentiarum, die 18 novembris 1842

" (Locus sigilli.) Sig. C. card. CASTRACANE, præf.; H. SINNASI, sec."

" Responsio S. Congregationis Indulgentiarum circà altaria privilegiata.

Quæritur, si à S. Sede indultum locale altaris privilegiati concedatur, neque ulla facta sit mentio nec in supplici libello, nec in rescripto, de qualitate altaris sitne fixum scilicet, vel portatile, an altare censeri posset privilegiatum, etiamsi sit portatile.

Resp. S. Congregatio : Negativè.

In quorum fidem, etc.... Datum Romæ, etc., 1841."